

DECRETA

CONDITA

IN CONCILIO PROVINCIALI MEDIOLANENSI TERTIO

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

NOS CAROLUS BORROMÆUS, S. R. E. Tit. Sanctæ Præcedis Presbyter Cardinalis, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mediolani, de consilio et assensu Reverendiss. Patrum Coepiscoporum nostrorum, in provinciali nostro Concilio Mediolanensi tertio, hæc quæ sequuntur constituimus ac decernimus.

De festorum dierum cultu.

Prov. 1, par. 1, de fest. dier. cultu, pag. 12.

Sens. 25, de cr.
de invocat.
Sanct.

SACROSANCTA Tridentina Synodus cum statuit fideles religioso festorum dierum cultu abuti non debere ad comessationes, ad luxum et lasciviam, tum Pastores omnes vehementer in Domino obtestata, debitam, sanctamque eorundem observantiam pastorali diligentia magnopere commendavit.

Sens. eodem,
decr. de del.
cib. etc.

Quamobrem primo provinciali Concilio de illorum cultu quamvis a nobis sancitum sit, tamen hac constitutione eo ipso de genere diligentius decernendum censuimus: cum eæ sint morum corruptelæ, is depravatus usus, ab omni et divina et humana lege alienus, ut Deo dicati dies, sanctisque rerum officii consecrati, ac Spiritu Sancti doctrina instituti tum ad recolenda divina beneficia, tum ad honores debitos Sanctis tribuendos, ad eorumque vitæ imitationem excitandam, non modo, ut oportet, sancte non colantur, sed, quod gravissimum est, nefarie violentur operibus, officiis, rerumque actionibus ab eorum cultu et pietatis christianæ studio alienis. Itaque in maxima hac offensione nos sacræ illius Synodi auctoritate, canonum jure, summorum Pontificum sanctionibus, et Pii V Pontificis constitutione eo nomine edita, Patrum item institutis, tum ipsius imperatoris legibus ad ducti edicimus: ut ne quid servilis operis sacræ iis diebus, qui sanctæ matris Ecclesiæ instituto, aut uniuscujusque loci consuetudine, votove publico coluntur, fiat; nec quidquam denique, quod in illis agi, geri, fieri non liceat.

Bulla ed. X. et.
Apr. 1566.

Et quoniam in iis quæ sequuntur maxime peccatur, hæc nominatim vetamus. Prohibitio
servilium o-
perum.

Ne iis diebus nundinæ, emporia, mercatusve agantur: ne quidquam præterea fiat, exerceturve, quod ad earum nundinarum vel mercatus apparatus pertineat, etiam si in diem proxime sequentem illæ cadant.

Ne contractus ulli, cujusvis generis sint, neve ullæ rerum executiones fiant; nisi cum jure nominatim permissum est.

Ne collectæ, taleæve in oppidis, pagis, vicis, ut ex depravata consuetudine quibusdam locis factum est, festis diebus exigantur; præsertim quo tempore, vel sacra fiunt, vel concio habentur, vel processiones vel alia divina officia celebrantur, vel scholarum doctrinæ christianæ exercitationes aguntur.

Nec vero ullo præterea unquam die in ecclesia, in cæmeterio, atriove ecclesiæ illas exigi liceat. Ne libri, imagines, signa, et alia id genus usquam venalia proponantur aut circumferantur.

Ne quæ ad aleæ lusum pertinent, neque larvæ itidem, nec vestes ad personatorum hominum usum vendantur vel locentur.

Ne quas res ad victum necessarias vendi licet, illæ prope ecclesias, in earumve conspectu venales proponantur.

Neque earum ipsarum rerum, præterquam panis a sole aut pluvia defendendi causa, in foro, locisque publicis tentoria, rastrave sint, quibus illæ exponantur.

Neque earundem rerum occasione causave officinæ apertæ ullo modo sint, sed earum ostium parvulum patens sit licet; reliqua omni parte clausa.

Quo in genere præterea Episcopus illarum rerum venditioni certam horam et modum præscribat; ne ex venditione aliquid existat scandali, offensionisve, aut occasionis quæ distraherentur homines a divinis officiis.

Tonsoribus præterea, pistõribus, sutoribus, calceariis, aliisque ejusmodi, et reliquis item opificibus, quibus præscribi oportet, Episcopus certas regulas præscribat, ne deinceps dierum

festorum cultum violent, in quo maxime peccare plerique solent.

Prohibitio
chorearum et
saltationum.

Quoniam autem usu jam hac in provincia nimis compertum est, depravatis his temporibus et moribus, ad choreas, tripudia, saltationes, et id genus alia nunquam fere conveniri sine multis, et iis quidem gravissimis, Dei offensionibus; idque cum ob turpes cogitationes, obscæne dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, et perniciosas ad omnia opera carnis illecebras illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, dissidia, stupra, adulteria, aliaque mala plurima inde consequentia quam sæpissime; his tot offensionum et peccatorum seminariis locum dari iis præsertim diebus, qui dies propitiacionis sunt; et iis ipsis diebus fideles plerisque, nefariis istis Satanæ blanditiis illectos, a divinis officiis, religiosis supplicationibus, lectionibusque sacris abduci; avertique rudes a percipiendis fidei rudimentis; aliosque ab aliis christianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religiose incumbendum est, abstrahi et amoveri; hoc certe gravissimum est in conspectu Dei et Ecclesiæ: quare festis iis diebus, saltem horis quibus divina celebrantur officia, interdicens, ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur aut fiant.

Ne item comedie, ludi scenici vel theatrales, hastiludia, et alia cujusvis generis spectacula agantur. Ne circumforanei, circulatores, et id generis nebulones, præstigias suas, inaniaque ea spectacula agant; neque quidquam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu.

Ut autem hæc omnes de festorum cultu leges ab omnibus servantur, contra eos qui non paruerint Episcopus agat pœnis et aliis item remediis, arbitrato suo.

Quæ præstantia fidelibus die festo. Vid. Prov. 1. quæ pert. ad celebr. Missæ. § Moneant, pag. 10.

Festis diebus sacrosancto Missæ sacrificio fideles omnes intersint.

Neque vero excusentur puellæ nubiles, neque deinceps viduæ, ne permissu quidem primi nostri Concilii, ob recentem mariti mortem, neque ullo alio cujusvis consuetudinis prætextu.

Ut vero ii dies omni pietate et religiosius colantur, hæc crebro populum Parochi et concionatores admoncant atque hortentur.

Ut illorum dierum tempus, quod Deo ejusque cultui debetur, in iis actionibus totum consumant, in quibus sancte consumendum est.

Ut concionem mane, et sacram lectionem a prandio, ubi explicari solet, audiant.

Ut divinis, vesperarum præsertim, officiis præsentibus, pie religioseque adsint.

Ut in christianæ doctrinæ rudimentis ac præceptis vel percipiendis vel recolendis versentur.

Ut in operibus etiam, officiisque pietatis se exercent; ægros homines visitando, mœrentes pie consolando, et alia ejusmodi præstando.

Ut denique ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia atque occasio existit, feriat, in ea operâ incumbant, ob quæ sunt illi sacri instituti dies.

Episcopi igitur cura sit, vel litaniarum processiones, vel orationis, aliarumque christianarum virtutum exercitationes instituire, in quibus per festos dies occupati fideles, abducant se a profanis actionibus.

Sicut Principes et Magistratus, qui gubernationi præsumt, dignitate præcellunt, ita præluere debent exemplo, quo reliqui incendantur ad perpetuum pie agendi studium.

Quamobrem, pro muneris sui officio, eos paterne cohortando et admonendo Episcopus curet, ut ipsi per annum solemnibus diebus, et in quibus potissimum humanæ redemptionis mysteria peraguntur, in Nativitate scilicet Domini, die Circumcisionis, et Epiphaniarum, in Hebdomada Sancta, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in solemnibus die Corporis Domini, ad cathedralem ecclesiam conveniant; Episcopali quoque Missæ sacrificio, quod solemnibus ritu fit, divinisque vesperarum officiis intersint. Idem præterea efficiat, cum ob Jubilæum vel ob aliam publicam causam generales processiones et supplicationes aguntur.

Episcopus id curæ diligentiaque adhibeat, ut tum ex Ecclesiæ suæ libris veteribus, manuque scriptis, tum ex publicis civitatis scriptis, monumentisve, atque aliunde pervestiget, si qui dies sunt, quibus colendis, vel veteri instituto, usuque, vel publico voto, civitas adstricta est; aut alius item quivis diœcesis suæ locus.

Cultus fratrum ex voto aut consuetudine.

Qua præterea diligentia utatur in conquirendis reliquis tum votis, tum piæ consuetudinis institutis. Si quæ vero ejusmodi monumenta compererit, ea diligentius conscripta in Episcopali archivio asservanda curet.

Certosque illos dies festos, iis monumentis notatos, coli, et alia hujusmodi pia instituta præstari jubeat.

Vigiliæ autem et festi dies Sanctorum, qui publico civitatis voto aut consuetudine coli debent, diœcesanæ Synodi constitutione ab Episcopo decernantur, et in Kalendarium quotannis relati, die Dominico, prout uniuscujusque eorum Sanctorum festus dies in aliquam hebdomadam incidit, populo a Parocho denunciatur.

Monimenta vero festi diei, vel piorum institutorum, quæ in aliquo solo diœcesis oppido, locove, voti publici aut consuetudinis ratione, servari oportet, in ejus etiam loci parochiali ecclesia asserventur: cum autem dies ille festus, vel quopium institutum servari debet, incidit, Parochi sit, die Dominico proxime præcedenti, illum populo indicare ac denunciare.

Prohibeat vero diligenter Episcopus atque omnino efficiat, ut non modo non saltationes et choreæ, verum etiam ne comessationes in honorem Sanctorum, ludi, aliæve profanæ actiones ab eorum festorum dierum et piorum institutorum cultu alienæ, ullo quovis modo, etiam illorum prætextu occasioneve introductæ, publice iis ipsis diebus fiant.

Vitanda in festis Sanctorum.

In Septuagesima etc.

Studeat etiam Episcopus, ut quo tempore in Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ hebdomadis Ecclesia mater, et officiorum ritu, et hymnis, canticisque fidelium mentes ad mœsticiam atque ad pœnitentiam excitantibus, et omni denique tum vestimentorum tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit ac præparat tot ante diebus ad sancte recolendam Christi Domini passionem et crucem; eo potissimum tempore fideles sibi in curam traditos, spectacula, ludos scœnicos, et alia quæ gentilitatis speciem præ se ferunt, tunc præsertim morum corruptelis introducta, illa ipsa tanquam a sanctissimis Ecclesiæ institutis abhorrentia omnino fugientes, ad pietatis christianæ studia et ad orationem attentiores sint, proposita omni christianarum actionum exercitatione.

Festus dies Sancti patroni quomodo colendus.

Quo religiosius incolæ uniuscujusque parochiæ festum diem colant illius Sancti, Sanctæve, cujus patrocinio parochialis ecclesia dicata est, cohortationibus agat Parochus, ut pridie ejus diei illi sancte jejurent, animo pie repetentes tum jejunia, tum religiosas alias ejus sanctarum virtutum exercitationes; quarum meritis in cœlum ille vocatus, cum sempiterna gloria perfruatur, pro charitate qua abundat, eorum, quorum salutis patrocinium suscepit, preces Deo offert, jejunia item et lachrymas. Tum idem illos admonere atque vehementer in Domino cohortari non desistat, ut pietatis christianæ officii, sanctis operibus, debitaque veneratione Sancti illius diem festum colant; utque ab omni servili opere abstinere studeant.

Eodem præterea die Sancti, qui parochiæ patronus est et custos, quo ad illius imitationem magis fideles inflammantur, id Parochus præstet, ut, peracto vespere officio, cum frequentior in ecclesia populus adest, aut ipse aut alius in suggestu, aliove loco superiori, de libro, quo illius vita vere expressa continetur, res ejus sancte admirabiliterque gestas, religiosæ vitæ instituta, morum disciplinam, pietatis studia, virtutes pronunciet.

Prov. I. par. 2. Communio de rat. div. off. pag. 36.

Quoniam vero sanctissimis summorum Pontificum constitutionibus, et provincialis Concilii primi nostri decreto sancitum est, ut quæ apocrypha sunt in ecclesia ne legantur, de vitis Sanctorum, qui in unaquaque hujus provinciæ urbe diocesisve certis potissimum locis coluntur, liber ab Episcopo conficiatur, doctis et piis viris adhibitis, tum ex probatis auctoribus, tum certis suæ Ecclesiæ scriptis ac traditionibus.

Sacrarum reliquiarum venerationis et cultus. Vid. Prov. I. p. I. de Sanct. reliq. vener. pag. 11.

Sanctorum, qui in Domino dormierunt, sacris sepulchris et reliquiis colendis et venerandis, eo maxime augetur gloria Dei, quo religiosius illa coluntur. Quo igitur die Sancti alicujus dies festus agitur, si in aliqua urbis diocesisve ecclesia Sancti alicujus corpus reconditum est, sacrae ejus membra vel aliæ insignes reliquiæ asservantur; eo die, et significatio detur frequenti campanarum sonitu, et ille ecclesiæ lo-

cus, ubi ea sunt, sacrarum vestium apparatu, et candelarum lumine ornatur, tum ad majorem cultum divina officia solemniter celebrentur.

De Scholis Doctrinæ christianæ.

Prov. I, par. 1, de fidei init. a Par. trad. pag. 8.

Quo major in dies concursus et progressio fiat ad doctrinæ christianæ scholas, ad earumque studium vehementius excitentur jam institutæ, et in posterum, Deo juvante, instituendæ ejus rei nomine sodalitates, Indulgentiarum, quæ et a Pio V et nuper a sanctissimo D. N. Gregorio XIII earum sodalitatatum hominibus concessæ sunt, donum quotannis per Parochos duobus ante Kalendas Maii diebus Dominicis proximis promulgetur, cum frequens populus adest. Illis autem constitutis Kalendis, earum sodalitarum homines, ut indulgentias consequantur, confessi, sacram Eucharistiam sumant, ac processionem præterea agant solemniter.

Publicatio indulg. doctr. Christianæ.

Bulla ed. die 6 Octob. 1567. Bulla ed. die 30 Octob. 1572.

Si vero sæpius id promulgari, vel aliis potius certis diebus hæc ab illis agi Episcopus censuerit, id constituat arbitrato suo.

Quibus in oppidis, vicis ac locis, quæ ad suam diocesim pertinent, Episcopus has necessarias doctrinæ christianæ scholas et sodalitates, ut altera provinciali Synodo jussum est, non adhuc instituit, illas quamprimum et quam diligentissime institui curet.

Institutio scholarum doctrinæ Christianæ. Prov. 2, tit. 1. decr. 2, p. 67.

Studeat vero quamplurimos cujusvis conditionis, status et ætatis homines probatos, tum mares tum fœminas, iis scholis jam institutis vel instituendis adscribi, adscriptosque operam illis navare, ut concessi Indulgentiarum numeris participes sint.

Eas vero jam institutas, vel in posterum instituendas scholas et sodalitates, ad illas præscriptas regulas dirigi curet, quæ jussu nostro ad munem earum usum edentur in lucem.

Infra in actis.

Scholas præterea quam sæpiissime visitari tum ab earum præfectis, tum ab aliis etiam jubeat, quibus id negotii dederit.

Visitatio eorum.

lique diligenter ei referant cum de omni instituta earum ratione, frequentiaque illorum qui conveniunt, tum de reliqua earundem sodalitarum spirituali progressionem.

Eisdem, quo plures poterit, constituat confessarios sacerdotes, et in concionibus habendis exercitatos, quorum et ministerio adjuventur, et salutaribus monitis, crebrisque cohortationibus inflammantur in dies magis ad illud scholarum et piarum exercitationum institutum atque studium.

Confessorii.

Si quam aliquando concionem sacram a prandio populo haberi contigerit, ei certa hora ab Episcopo statuatur; ita ut neque concionator a doctrinæ christianæ scholis, neque hæ ab illo impediatur.

Conciones quæ hora habentur.